

Alte Drucke

Concilia quatuor generalia

TOMVS PRI=||MVS QVATV=||OR CONCILIO||rum generalium. || Quadraginta
septem Conciliorum prouincialiu[m] au=||thenticorum. || Decretorum
sexaginta nouem Pontificum. Ab aposto=||lis & eoru[m]de[m] ...

Isidorus <Hispalensis>

Parisiis, 1524

DE ORDINE EPISCOPORVM VEL PRIMATVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150505

De primatibus charissimi super quibus me quidam vestrum consuluerunt, & apostolice auctoritatis (qua licet indigni domino dispensante fungimur) decretum postulauerunt, aut si esse deberet, aut non, quantum hactenus de his a beato Petro apostolo, & a reliquis apostolis, ac a beato Clemēte nostro sancto predecessore & martyre nouimus statutum, denegare vobis minime possumus. Et quis est qui querentibus fratribus denegare possit dubitationes, vel necessitates eorum? Sacerdotum tres ordo bipertitus est, & sicut dominus illum constituit a nullo debet perturbari. Scitis autem a domino apostolos esse electos, & constitutos, & postea per diuersas prouincias ad predicandum dispersos. Cum vero messis cepisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adiumentum septuaginta eligi precepit discipulos. Episcopi vero domini apostolorum, presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. Episcopi autem non in castellis, aut modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbyteri per castella, & modicas ciuitates atque villas debent ab episcopis ordinari, & poni, singuli tamē per singulos titulos suos. Et episcopus non ab vno, sed a pluribus debet episcopis ordiari, & ut dictum est, non ad modicam ciuitatem, ne vilescat nomen episcopi, aut alicubi, sed ad honorabilem urbem titulandus & denominandus est. Presbyter vero ad quemcunque locum vel ecclesiam in eo constitutam est perficiendus, atque in ea diebus vite sue duraturus, amplius quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis adeo collati sunt, nec apostoli docuerunt.

DE ORDINE EPISCO- PORVM VEL PRIMATVM.

A PISCOPORVM VERO ORDO VNVS EST LICET sint primates illi, qui primas ciuitates tenent, qui & in quibusdam locis patriarche a nonnullis vocantur. Illi autē qui in metropoli a beato Petro apostolo ordinante domino, & a predecessore nostro predicto sancto Clemēte, seu a nobis constituti sunt, non omnes primates vel patriarche esse possunt, sed ille vrbes que prefatis, & priscis temporibus primatum tenuere episcoporum, patriarcharum, aut primatum nomine fruatur, relique vero metropoles archiepiscoporum, aut metropolitanorum, & non patriarcharum, aut primatum vtantur nominibus, quia hec eadem & leges seculi in suis continent principibus, alie autem prime ciuitates quas vobis conscriptas in quodā tomo mittimus a sanctis apostolis, & a beato Clemente, siue a nobis primates predicatorum acceperunt. Hec vero sacra sancta Romana, & apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso domino saluatore nostro primatum obtinuit & eminentiam potestatis super vniuersas ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro apostolo dixit. Tu es petrus & super hanc Petram edificabo ecclesiam meam, & porte inferi non preualebunt aduersus eam, & tibi dabo clauis regni celorum. Et quecumque ligaueris super terram, erunt ligata & in celo, & quecumque solueris super terram erunt soluta & in celo. Adhibita est etiam societas, in eadem Romana vrbe beatissimi apostoli Pauli vasis electionis, qui vno die, vno quoque tempore gloriosa morte, cum Petro sub principe Nerone agonizans coronatus est, & ambo sanctam Romanam ecclesiam consecrarunt, aliisque omnibus urbibus, in vniuerso mundo, eam sua presentia atque venerando triumpho pretulerunt. Et licet pre omnibus assidua apud dominum omnium sanctorum fundatur oratio. His tamen verbis Paulus beatissimus apostolus, Romanis proprio chirographo pollicetur dicens. Testis enim michi est deus, cui seruo in spiritu meo in euangelio filii eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.

DE SEDE ROMANA.

B Prima ergo sedes, est celesti beneficio Romane ecclesie, quā (ut memoratum est) Beatissimi Petrus, & Paulus, suo martyrio consecrarunt. Sic Roma que prius erat cacademonis artificio omnium errorum mater & alitrix, excussis tenebris & vanis superstitionum ritibus abiectis filiorum dei exorto sole iustitie facta est copiosa propagatrix.

De sede

DE SEDE ALEXANDRINA.

Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a marco eius discipulo atq; euangelista consecrata est, quia ipse & in egipto primum verbum veritatis directus a Petro predicauit, & gloriosum suscepit martyrium. Cui venerabilis successit abilius. A

DE SEDE ANTIOCHENA.

Tertia autem sedes apud antiochiam eiusdem, id est a beati Petri apostoli habetur honorabilis, quia illic priusquam romam veniret habitauit, & ignatium episcopum constituit, & illic primum nomen christianorum nouelle gentis exortum est. Reliquas vero, ut prediximus, in quodam thomo prolixitatem vitantes epistole vobis conscriptas direximus. Inde namq; & beati apostoli inter se statuerunt ut episcopi singulorum scirent gentium quis inter eos primus esset, quatinus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nam & inter beatos apostolos quedam fuit discretio. Et licet omnes essent apostoli, Petro tamen a domino est concessum, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, ut reliquis omnibus preesset apostolis, & ceteras, id est caput & principium teneret apostolatus. Qui & eadem formam suis successoribus & reliquis episcopis tenendam tradiderunt. Et non solum hoc in nouo testamento est constitutum, sed etiam in veteri fuit. Vnde scriptum est. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, id est primi inter eos fuerunt. Et quamuis ita ordinatum fuerit, nemo tamen quod suum est querat, sed quod alterius, unde ait beatus apostolus Paulus. Vnusquisque placeat proximo suo in bonum ad edificationem. Et sicut ipse saluator suis ait discipulis. Qui maior est vestrum erit minister vester, & reliqua. Et licet super his aliqua dicta fuerint, repetentes tamen sepius admonemur, ut semper in omnibus, & ab omnibus vitentur elationes mentis & corporis. Et quanto maior unusquisque videtur esse, tanto sit humilior, sicut dominus saluator noster non venit ministrari sed ministrare. Et si frater aliquis preoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite eum in spiritu lenitatis. Si que vero alie cause difficiliore inter vos orire fuerint, ad huius sancte sedis apicem eas quasi ad caput referte, ut apostolico terminentur iudicio, quia sic dominum velle ab eoq; ita constitutum esse antedictis testimoniis declaratur, hec vero apostolica sedes cardo & caput factum est a domino, & non ab alio constituta, & sicut cardine ostium regitur, sic huius sancte sedis auctoritate omnes ecclesie domino disponente reguntur. B

Accusatores autem & testes esse non possunt qui ante hesternum diem aut nudius tertius inimici fuerint, ne irati nocere cupiant, vel lesi vicisci velint. Inoffensus igitur accusatorum, & testium affectus querendus est, & non suspectus. Causa enim vestra alieno nolite committere iudicio, valde enim iniquum est, ut ommissis suis alii quilibet aliorum se causis immisceant, quoniam nullis in locis spiritualis cura deficit, sed se per omnia, qua nomen domini predicatur extendit. Studendum est omnibus ne (ut est) emulationes male, sed pie sint inter vos dilectiones, quia in hoc vos omnes domini discipulos esse veros nouerint, si dilectionem habueritis ad inuicem. Ex omni ergo genere plurimos deus dignatur attrahere, quos exutos de potestate tenebrarum transferat in regnum filii claritatis sue, & de vasis ire faciat vasa misericordie.

Vnde nobis summo opere studendum est, ut cooperatores simus gratie dei, quia ad hoc vocati sumus, eiusque familiari colloquio sociati, & sacerdotes sacrati, ut fructuosos illi manipulos reportemus, cooperante gratia eius. Necesse est enim ut rectores a subditis timeantur, ab ipsisq; corrigantur, ut humana formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant, deteriores quippe sunt qui doctorum vitam, moresq; corrumpunt, his qui substantias aliorum, prediaq; diripiunt, ipsi autem ea que extra nos licet nostra sint, auferunt, nostri quoq; detractores & morum corruptores nostrorum siue qui aduersus nos armantur, proprie nos ipsos decipiunt. Et ideo iuste infames sunt, & merito ab ecclesia extorres fiunt.

Pro meritis ergo plebis sepe pastores deprauantur ecclesie, ut procliuus corruant qui sequuntur. Capite videlicet languescere facilius reliqua membra corporis inficiuntur, ut scriptum est. Omne caput languidum, & omne cor merens, a planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas. Quapropter manifestum est diabolum (qui sicut leo rugiens circuit, querens quem possit deuorare). C

rare) cordibus plebium suadere, vt doctores atq; pastores suos detractionibus irrogent vel accusent, vt plebibus languescantibus, vel mala agentibus, non tenentibus pastoribus frena eorum lasciuiant atq; in inta ruant. Multum vero distant damna morum a damnis rerum temporalium, cum ista extra nos sint, illa vero in nobis. Sententia quoq; chan filii Noe dānantur, qui suorum doctorum vel prepositorum culpam produnt sicut chan qui patris pudenda non operuit, sed magis deridenda monstrauit. Doctor autem vel pastor ecclesie si a fide exorbitauerit a fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus quam distringendus, quia rectores ecclesie a deo iudicandi sunt, sicut ait propheta. Deus stetit in sinagoga deorum in medio autem deos diiudicat, vnde oportet vnumquemq; fidelem si viderit, aut cognouerit plebes suas aduersus pastorem suum tunc scire aut clerum detractionibus vacare, hoc vitium pro viribus extirpare, prudenterq; corrigere sat agat, nec eis in quibuscūq; negotiis misceri, si incorrigibiles apparuerint antequam suo reconcilientur doctori presumat, quoniam tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes debent habere summam curam, de his qui pereunt, quatinus eorum redargutione, aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia separentur.

DE SVBIECTIS QVI AMICI SVNT INIMICIS EPISCOPORVM SVORVM.

A



IT ERGO BEATVS PRINCEPS APOSTOLORum Petrus de sancto predecessore nostro Clemente plebibus predicādo quādo docebat eas qualiter ei obedire deberent, eumq; obseruare inter cetera ita, si inimicus est alicui, pro actibus suis, vos nolite expectare, vt ipse vobis dicat cum illo nolite amici esse, sed prudenter obseruare debetis, & voluntati eius absq; cōmunicatione obsecundare, & auertere vos ab eo, cui ipsum sentitis aduersum, sed nec loqui his quibus ipse non loquitur, vt vnusquisq; qui hic in culpa est, dum cupit omnium vestrum amicitias ferre festinet citius reconciliari ei qui omnibus p̄est, & per hoc redeat ad salutem, cum obedire ceperit monitis presidētis. Si vero quis amicus fuerit his quib⁹ ipse amicus non est, et locutus fuerit his, quibus ipse non loquitur, vnus est: & ipse ex illis, qui exterminare dei ecclesiam volunt, & reliqua. His aliisq; quamplurimis documentis facile vnusquisq; aduertere potest, qualiter obedire & obtemperare debet prepositis suis, & qualiter circa eos agendum sit quibus ipsi aut amici sunt aut inimici. Si quis enim hec precepta non obseruauerit hostis est anime sue, & non tantum infamis, sed & excommunicatus atq; alienus ab ecclesia efficiatur, quoniam necesse est ea vitia ferro abscondere que aliis medicaminibus non sanantur. Parcat vnusquisq; a laceratione vel detractione lingue sue, caueatq; ne aut linguam aut aures habeat prurientes, id est, ne aut aliis derogat, detrahatq; quoscūq; aut alios audiat derogantes vel detrahentes, custodiatq; quisq; sermones suos, & sciat quia quicūq; de aliis loquitur, sua sententia iudicabitur. Caueat etiā omnis fidelis ne derogando quod in domo cuiusquam agitur, alia domus per eum cognoscat, sed omnium christianorum domos quasi proprias amet. Nemo enim inuito auditori libenter refert, sitq; vnus cuiusq; studium non solum oculos castos seruare, sed & linguam. Vos autem charissimi, qui estis sub disciplina domini constituti, sic vos exhibete, vt veri ministri & dispensatores ministeriorum ei⁹, vt non vituperetur ministerium vestrum, ne fiat in vobis sicut scriptum est, ecce sicut populus sic sacerdos, Sic eni vos vestrosq; & cunctos corrigite, vt nemini noceatis, quatinus & ab hominibus bonā acquiratis famam, & a deo mercedis premium in eterna beatitudine percipere mereamini. Et siqd aduersi de vnitāte ecclesie acciderit, radicitus amputetur, & dei ecclesia fructusq; seruorum maneat in concussa. Propter quod charissimi expectantes satagite immaculatū ei inueniri in pace, & domini nostri iesu christi longuanimitatem salutem arbitramini. Estote ergo prudentes, atq; vigilate in orationibus, ante omnia autem mutuam in vobis in ipsis charitatē continuam habentes, quia charitas operit multitudinē p̄ccatōrū, hospitales inuicē sine murmuratiōe, Vnusquisq; sicut accepit gratiā in alterutrum